Junta de Castilla y León
Consejería de Educación

PROCEDIMIENTOS SELECTIVOS DE INGRESO Y ACCESO Y ADQUISICIÓN DE NUEVAS ESPECIALIDADES EN LOS CUERPOS DE PROFESORES DE ESCUELAS OFICIALES DE IDIOMAS

Orden EDU/246/2018 de 2 de marzo de 2018, de la Consejería de Educación (BOCyL de 7 de marzo)

0590 – CUERPO DE PROFESORES DE ENSEÑANZA SECUNDARIA
003 – LATÍN

circumuenire: ita Iugurtham aut praesidiis nudatum ⟨iri⟩,
5 si ea pateretur, aut proelio certaturum. Nam Bocchus
nuntios ad eum saepe miserat: uelle populi Romani
6 amicitiam; ne quid ab se hostile timeret. Id simulaueritne,
quo inprouisus grauior adcideret, an mobilitate ingeni
pacem atque bellum mutare solitus, parum exploratum est.
89 Sed consul, uti statuerat, oppida castellaque munita adire,
partim ui, alia metu aut praemia ostentando auortere ab
2 hostibus. Ac primo mediocria gerebat, existumans Iugur-
3 tham ob suos tutandos in manus uenturum; sed ubi illum
procul abesse et aliis negotiis intentum accepit, maiora et
magis aspera adgredi tempus uisum est.
4 Erat inter ingentis solitudines oppidum magnum atque
ualens nomine Capsa, quoius conditor Hercules Libys
memorabatur. Eius ciues apud Iugurtham inmunes, leui
imperio et ob ea fidelissumi habebantur, muniti aduorsum
hostis non moenibus modo et armis atque uiris, uerum
5 etiam multo magis locorum asperitate. Nam praeter
oppido propinqua alia omnia uasta, inculta, egentia aquae,
infesta serpentibus, quarum uis sicuti omnium ferarum
inopia cibi acrior; ad hoc natura serpentium ipsa perni-
6 ciosa siti magis quam alia re adcenditur. Eius potiundi
Marium maxuma cupido inuaserat, quom propter usum
belli, tum quia res aspera uidebatur et Metellus oppidum
Thalam magna gloria ceperat, haud dissimiliter situm
munitumque, nisi quod apud Thalam non longe a moeni-
bus aliquot fontes erant, Capsenses una modo atque ea
7 intra oppidum iugi aqua, cetera pluuia utebantur. Id
ibique et in omni Africa quae procul a mari incultius
agebat eo facilius tolerabatur quia Numidae plerumque

1 iri *suppl. Meiser*: (fore) *Prammer* 5 accideret (*ex* -erat *P*) $\alpha N^1 F$: acced- $A^2 \beta N^2 KHD$ 6 atque] aut ϵ 7 constituerat $\delta\epsilon$ 14 libys] lybis $PA^2C\delta F$: libis HD: lybies A^1: libris B 20 quorum $A^2B^1CH^1$ 21 ipsa *om.* γ 25 thala … $A^2\beta K^2H^2D^2$: ubique αY

lacte et ferina carne uescebantur et neque salem neque alia
inritamenta gulae quaerebant: cibus illis aduorsum famem 8
atque sitim, non lubidini neque luxuriae erat.
Igitur consul omnibus exploratis, credo dis fretus, nam 90
contra tantas difficultates consilio satis prouidere non
poterat—quippe etiam frumenti inopia temptabatur, quia
Numidae pabulo pecoris magis quam aruo student et
quodcumque natum fuerat iussu regis in loca munita
contulerant, ager autem aridus et frugum uacuos ea
tempestate, nam aestatis extremum erat—tamen pro rei
copia satis prouidenter exornat. Pecus omne quod superi- 2
oribus diebus praedae fuerat equitibus auxiliariis agun-
dum adtribuit, A. Manlium legatum cum cohortibus
expeditis ad oppidum Laris, ubi stipendium et conmea-
tum locauerat, ire iubet dicitque se praedabundum post
paucos dies eodem uenturum. Sic incepto suo occultato 3
pergit ad flumen Tanain. Ceterum in itinere cotidie pecus 91
exercitui per centurias, item turmas aequaliter distribue-
rat, et ex coriis utres uti fierent curabat: simul inopiam
frumenti lenire et ignaris omnibus parare quae mox usui
forent. Denique sexto die, quom ad flumen uentum est,
maxuma uis utrium effecta. Ibi castris leui munimento 2
positis milites cibum capere atque, uti simul cum occasu
solis egrederentur, paratos esse iubet, omnibus sarcinis
abiectis aqua modo seque et iumenta onerare. Dein, 3
postquam tempus uisum, castris egreditur noctemque
totam itinere facto consedit; idem proxuma facit; dein
tertia, multo ante lucis aduentum, peruenit in locum
tumulosum ab Capsa non amplius duum milium inter-
uallo, ibique quam occultissume potest cum omnibus
copiis opperitur. Sed ubi dies coepit et Numidae nihil 4

2 cibus (et potus) *Meiser* 3 libidine P^1A^1 6 quia] quod γ 13 manilium $P^1A^1B^2N$ … *rell.* 15 dicetque P^1A^1 17 tanain αF: 19 simul $P\beta\delta$: simul et γ: statim A … $A^2\beta$: item $A^1\delta$: idemque γ proxima nocte $A^2C^2H^2\epsilon$

JUNTA DE CASTILLA Y LEÓN
CONSEJERÍA DE EDUCACIÓN
DIRECCIÓN PROVINCIAL DE EDUCACIÓN DE ZAMORA
LATÍN
COMISIÓN DE SELECCIÓN